




E 3. 27

Q





5
O R A T I O
N O M I N E S E.
R E N I S S I M I A C P O T E N -
T I S S I M I P R I N C I P I S A C D N. D N.
I O H A N N I S I I I. S V E C O R V M, G O T H O R V M
Wandalorumq; Regis, Magni Principis Finlandiæ,
Careliz, Wotschouïæ & Ingridiæ Ruthenorum,
Estoniæq; Liouonum Ducis, &c.

Nec non

E I V S M A I E S T A T I S C A R I S -
S I M I F I L I I S E R E N I S S I M I P R I N C I P I S
S I G I S M V N D I, eorundem dictorum Regnos-
rum proximi Principis hereditarij &
Regis electi, &c.

P E R I L L V S T R E S, G E N E R O S O S
& Magnificos, Dn. E R I C V M S P A R R E, Domi-
num de Sundby, &c. Regni Sueciæ Consiliarium &
Procancellarium, Gubernatorem Wesmanniæ, Dale-
karlorum & Montanorum: & Dn. E R I C V M B R A -
H E, Comitem à Winsingsburg, Baronem à Ridbo-
holm & Lindholm, Sereniss. Principis S I G I S -
M V N D I Consiliarium & Aulæ magistrum,
dictæ M A I E S T A T I S & S E R E N I T A T I S,
ad Comitata Warsouiensia, noui R E G I S
electioni xxix. Iunij Anno

M. D. LXXXVII. stylo

nouo indicta,

LEGATOS

habita D. xv. Augusti.



GRAFFIO
MONINE SE
...
...
...

...
...
...
...
...
...



REVERENDISSIMI, ILLV-
STRISSIMI, REVERENDI,
ILLVSTRES, MAGNIFICI,
GENEROSI ET NOBILES
DOMINI, Constat longo rerum
vfu & experientia, magnam esse vicinitatis necessitudinem,
eiusq; vsum, vt quilibet non partem vicinæ felicitatis non plarumq; sibi possit polliceri: semper verò suspicetur, se mali & infortunij vicini fore consortem. Cùm igitur hæc duo Regna, Suecia atq; Polonia, ita coniuncta sint locorum propinquitate, vt nihil vtriq; Regno possit esse vtilius, quàm firma & diuturna amicitia: salus quoq; vnius hac ratione merito communis esse videatur: hoc magna ex parte cincto multitudine barbarorum conterminantium: illo quidem ab vna, longo tamen districtu, horum plurimos, sinibus attingente: operæ precium fore duxit Sereniss. *REGIA MAIESTAS SPECIAE*, &c. vt suæ Maiestatis, nec non carissimi filij sui Serenissimi Principis *SIGISMUNDI*, &c. nomine, nos Legatos, vt ex literis fidei, quas reddidimus, apparet, ad hunc Amplissimum conuentum ablegaret, cùm quòd officium vicini amicissimi in tanto & tam arduo negotio, quod *DEVS* secundet, erga vestram Rempub. minus neglexisse videretur: tum potissimum, quòd speraret, eandem ad arctiorem amicitiam cōtrahendam eò libentius propendere, quò magis id ex re sua fore iam nimirum, Deo fauente, certò possit statuere. Peruetus enim amicitia inter hæc duo Regna Sueciæ atq; Poloniæ iampridem intercedit, vt tempore Suecorum Regis *ERICI XIII.* nec non *VLADISLAI* Poloniæ Regis, & *ALEXANDRI*, Magni Ducis
A 2 Lithuanix

Lithuanix, proximè ad fratrum necessitudinem accedere videretur: deriuata deinceps continuo vsu ad *CASIMIRVM* Polonix, & *CAROLVM* Suecix Regem, qui cum Regno pulsus esset, sese fidei *CASIMIRI* Regis exulans commisit: ipsumq; in caussa sua contra aduersarios iudicem sibi deligit: cuius vicissim opera & intercessio, vt idem *CAROLVS* in Regnum restitutus sit, haud parum profuit: tempore deinde *SIGISMVNDI* & *GVSTAVI* Regum ad veterem tunc amicitiam accessit confœderatio: tandem inter posteros affinitatis necessitudo, quæ in hunc vsq; diem vtriusq; Regni amicitiam, aliquando vacillantem, saluam tamen & illæsam conseruauit. Et quoniam ea occasio iam sese offerre videtur, vt hæc amicitia non solum coalescere, & stabiliri possit, sed & multò arctior, quàm vnquam antea, speranda sit: petimus maiorem in modum, vt benignas aures pauca nobis pro ingenij tenuitate dicentibus præbeatis: & quã nunc facultatem amicitix conseruandæ, nec non Reipub. vestrx amplificandæ fata promittunt, eam non reiiciatis, sed æquo animo complectamini, certissimè statuentes, omnia à nobis candidè & sincerè agi, nec alijs pollicitationibus, quàm quibus in vniuersum effectus respondeat, nos esse subnixuros: idq; amor patriæ vestrx, simul ac prudentia ab omni affectu remota, de quo non dubitamus, ipsamet aliquando testabitur. Cum igitur hic amplissimus conuentus, defuncto nuper Serenissimo Rege *STEPHANO*, bonæ memoriæ, noui Regis electioni indictus sit, optamus primùm à Deo Opt. Max. vt vobis, quibus hæc cura incumbit, salutaria consilia inspiret, vt id, quod vtilissimum erit, cernere, & vnanimè eligere possitis.

tis. Constat enim omnibus, diuersos esse Competito-
res. Et quòd Serenissimus *REX SVECIAE* statim
post mortem dicti Regis *STEPHANI* &c. nomine
filij sui carissimi minus de regno sollicitarit, in caussa
fuit, cùm quòd Sereniss. *REGIA MAIESTAS*
SVECIAE non satis tutum duxerit, antea filium
suum Regnum hoc ambire, quàm certò cognosceret,
memoriam *IAGELLONICAE* familiæ, cuius vni-
ca tantùm extaret propago mascula, nondum refris-
xisse, vel mutatione aut iniquitate temporis esse sup-
pressam: tùm potissimùm ob intestina quorundam
hominum primatum dissidia, quibus vnicum filium
exponere periculosum fuisset: glacies verò & nauis-
gandi hiberno tempore importunitas non parum mor-
ræ attulit, His, & non alijs, vti quidam sparserant, de
caussis, hæc res vsq; ad nostrum aduentum suspensa
fuit. Quocirca obnixè petimus, ne id Amplissimæ
Dominations Vestræ sinistrè interpretentur, neq;
committant, vt caussæ Serenissimi Principis nostri,
quam tractamus, quamq; alijs omnibus potiolem &
probabiliorem ipsimet aliquando agnosceris, vllum
exinde præiudiciũ generetur. Ambiant Regnum
hoc magnis pollicitationibus diuersi Principes Chris-
tiani, qui etsi sanè ob familiæ claritatem, auorum am-
plitudinem & res gestas, tanto gubernaculo digni es-
sent habendi: tamen non dubitamus, quin ipsimet
vos Proceres & Equites Poloni pro vestra prudens-
tia, quid in tanta animorum varietate, & promissos-
rum diuersitate, vobis, vestræq; Reipublicæ com-
modius, quid vtilius, quid iustius, & pro ratione huius
temporis maximè vsui esse possit, præuideatis &
discernatis. Non enim nostri est instituti, ea omnia

enumerare, ne videamur quicquam in odium tantorum Principum, amicorum præsertim, acerbis protulisse. Verùm id quidem contra omnes, nulla deprecata venia, liberè & citra morsum & inuidiam omnium dicere licet, neminem Sereniss. Principe *SIGISMUNDO*, &c. vobis sanguinis iure propinquiorem posse commendari. Regnum nulli cuiquam heredis titulo deberi scimus. Magna tamen & præclara extant merita *LAGELLONICAE* familiae in hanc Rempub. vt id verbis assequi nobis foret difficile. Huius propago licet nullo deuolutionis iure nititur, attamen eo gaudeat, rogamus: alijs, qui vel nulla, vel planè dissimili necessitudine vos attingunt, se non fore secundam: cum & corporis & animi dotibus, reliquis in totum sit comparanda: conditionibus quoque & commoditatibus alios quotquot antecellat. Iuuenis est, ætatis florem ingrediens, natalibus splendidus, optimè educatus, decora & virili facie, aui materni *SIGISMUNDI* I. effigiem referente, statura procerus, linguarum peritus, maximè idiomatis Polonici, quo exactè scribit & loquitur, literatus, mansuetus, prudens, deniq; quod maximum est, pius, Catholicus, nec tamen ita, vt alios differentis religionis Christicolas aliquo odio aut insectatione prosequatur. Vestri est sanguinis, vt nõ dubium sit, ipsum vobis & huic Reipub. meliùs cupere, quàm alium extraneum. Præterea non vos fugit, ei multa ex hoc Regno deberi. Plura fortassis aliunde ex materna hereditate iure aliquando ad ipsum spectabunt. Hæc omnia vobis vestræq; Reipub. adscribet. Pecuniam quoq; à Sereniss. suo Dn. parente huic Regno mutuo datam, cum Actione pro oppignoratis, & deinde ademptis

ademptis arcibus, simul ac tormenta ad Wandaliā
concredita remittet: in summa, omnia debita quo-
cunq; nomine ad Sereniss. eius parentem & suam Se-
renitatē pertinentia, quæ si expendi deberent, vtius
& æquum postulat, in maiorem fortassis quantitatem
excrescerent, quàm quisquam alius est allaturus. Alj
quod promittunt, adhuc ipsimet retinent: quod is
pollicetur, eius non exigua pars in vestra est potesta-
te. Offert præterea Regni Sueciæ amicitiam, & cons-
foederationis vinculū, quod maximè ex vtilitate vtri-
usq; Regni futurum est, viuentē Serenissimo suo Dn.
Patre, post fata verò eiusdem, cui quidem, vt par est,
vitæ diuturnitatem exoptat, Regni deinceps eiusdem
cum Polonia & Magno Ducatu Lithuanix, (idēq;
maximum, & à multis seculis inauditum) coniun-
ctionem, sub vno ipsius imperio ad amicitiam & cons-
foederationem perpetuò conseruandam, adeò, vt, etsi
Sereniss. Rex Sueciæ plures filios habuerit, Regno
tamen *SIGISMUNDVS* solus potiatur, nec cuiquam
sive fratri cōsanguineo, si quem nasci contigerit, nec
patruo, vllō vnquam tempore resignare teneatur.
Tum quoq;, ne fortassis Regno Poloniæ & Magno
Ducatu Lithuanix oneri aliquando esse possit, si, cum
REX constitutus esset, plures filios procreauerit,
vno fortassis in Regem Poloniæ electo, si Statibus
huius Regni ita videbitur, alter Regnū Sueciæ obti-
nebit: vni etiam in Sueciā de digna sustentatione pro-
videbitur. Ad hoc etiam promittit libera & mutua
vtriusq; Regni omnium rerum commercia absq; telos-
niorum & vectigalium pensione, nec non nauigatio-
nis vsum & vtilitatem, quam maximopere necessa-
riam & quæstuosam ipsamet Amplitudines Vestræ
iamdua

famdudum agnouerunt. Quid præterea vnicuique imperio tam necessarium, quam classis? Classe augentur, classe propagantur, classe conseruantur imperia, quæ si cuiquam, profectò omnium maxime Regno Poloniæ est necessaria, vt qua libertate alijs gentibus Polonia præstat, eandem mari splendide vsurpet. Hanc itaque dictus Sereniss. Princeps spondet se omnibus rebus instructam in vsum Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuanie proprijs sumptibus aduecturum, ac semper habiturum paratam: Milites etiam, vbi Regni necessitas ita postulauerit, adducturum, præsertim Suecos sclopetarios, quorum in iaculando peritia, & in bello gerendo virtus & fortitudo cognita est: Denique ad confinia huius Regni, quæ vel Tartariam vel Moschouiam spectant, arces munitissimas quinque proprijs sumptibus exstructurum, prouisurumque de tormentis pro hisdem necessarijs, & militibus conductijs, quotquot sufficient. Eius electio pacem vobis afferet: præstabit vicissim maximam facultatem Regni vestri amplificandi valida patriæ sue potentis cum vestra adunata manus. Quid? quanti illud æstimandum putatis? quam præclarum, quam fructuosum Reipub. vestræ futurum? Liouoniam fertilissimam, eandemque maritimam prouinciã, ex turbulenta, tranquillam, ex ambigua certam, ex infesta pacatam perpetuò fore: tollentur illi infiniti sumptus: præsidiarius non erit necessarius miles: & tandem aliquando insignis hæc & opulenta prouincia cõquiescet, tantis dimicationum bellorumque tempestatibus iactata recreabit sese, factò & declarato à vobis *SIGIS. MVNDO* Poloniæ Rege, cuius opéra, postquam aduenerit, Regno Poloniæ Magnoque Ducatui Lithuanie

nix cedit: Vestra erit. Cui rei deliberatio cum paulo
lo grauior ob multas causas esset, Sac. *MAIESTAS*
SVECIAE per summam temporis breuitatem haec
nus quidem ad Ordines Sueciae Regni non potuit res
ferre: Sed dicto Principe instigante, primo quoque
tempore referet. Nouistis vim paterni amoris: quae
si magna solet esse in unicum filium, quid tandem cens
setis in talem filium? Verum, quod firmitus haec, quae
a nobis dicuntur, in animis vestris insideant, neue ul
la dubitatio, aut incertitudo, qua res humanae ple
rumque laborare solent, versetur: sed quocumque casu
vestra Respub. crescat, eidemque prouisum & consul
tum sit, praesto est *SACRA REGINALIS MAIE*
STAS, Nostra & Vestra *DOMINA* Clementissima,
Haec fidem suam Regalem vobis obstringit, vadē se
interponit, bona sua, quae intra Regnum ad ipsam
& extra spectant, hoc nomine obligat: qua quidem fi
de, quam firmiorem fidem? qua obligatione, quam
sanctiorem obligationem? quodnam certius vadimon
ium? aut quae certiora pignora desiderare potestis?

Agite, ad Competitores veniamus, in quibus est
& beneuolentia, & offensio spectanda. Illi nullam
habebunt querendi occasionem. Quocirca Vestrum
agnoscite, complectimini, relictis exteris omnibus.
Is enim plura bona ex Suecia in Poloniam, quam
ex Polonia in Sueciam transmittere studebit.

Sunt & quidam, qui *PIASTVM* clamitant,
huc se vertant, hic verus nostri temporis est *PIA*
STVS: quippe & ab hoc originem probat: indigena
quoque respectu sanguinis materni, vestris imbutus
moribus, & lingua: alium *PIASTVM* haec tempora
vix admittunt, cuiusmodi olim sancta simplicitas

B

Fortuna

Fortuna imperante euexisse perhibetur : hæc ætas
aliam vitam, alios mores postulat. Non speramus igitur,
vt repudiato vnico palmite vestri sanguinis **LAE
GELLONICI**, quem Deus Opt. Max. vestræ Reipub.
pub. aliàs, quod tamen absit, nutanti, duobus vestris
Regibus breui tēpore fatorum lege sublatis, à tertio
Regno relicto, reseruasse videtur, alium vtiq; ma-
gnum & præclarum in hac electione huic præferatis.
Iam restat, vt Moschum indignum competitorem dis-
spiciamus (bona vestra venia sit dictum) cuius nun-
quam nobis antea in mentem potuit venire, nec tan-
tam esse hominum huius Regni mansuetudinem, vt
tam placidè ipsum audire & Ordini Candidatorum
inferere voluerint, qui fallere inter vitia non ducit.
Catholicum se fore promittit, Schismaticus, illiteras-
tus : animi ægritudinem primùm deponat, quàm de
animæ salute certi quicquam statuatur : quod tamen si
fecerit, non seruabit. Omnibus enim innotuit, ipsum
ante multos annos vnionem religionis simulasse, mis-
sis Romam Legatis, qui multa quidem promiserunt,
sed quàm non solum hæc res nullum effectum sortita
sit, verùm quàm barbaro more Legatos Summi Pon-
tificis in Moschouiam ablegatos illuserit, omnibus
æquè iamdudum percrebuit. Id enim nunquam ani-
mum induxit, sed cùm animaduerneret, bellum sibi à
duobus potentissimis Regibus, Sueciæ atq; Poloniæ
inferri, quorum impetus sustinere non valuit, tanto
tempore religionis conformitatem fore finxit, quo-
usq; pacem cum Rege Poloniæ obtineret. Hoc Re-
gnum auro deinde comparari posse sibi persuadet, ac
si non probitatis, virtutis, vel deniq; sanguinis Regi
maior esset ratio, quàm auri, siue argenti, quod pater
ipsum

ipſius à ſui populi orphanis & viduis, quarum maſſas
tos & parentes antea miſerè ſuſtulſſet, expilarat. Pe-
cunia iam vos oppugnare tentat, cùm haecenus armis
minimè valuit, quaſi tantum Regnum gliſcentibus
ipſius inſidijs cupiditas pecunię velit exponere, quam
ſanè non malè erogalſſet, ſi ſceptrum Regni omniſq;
Reipub. ſalus hac ratione veniret: cuius pecunię ſo-
lutionem veſtrum aliquando ſanguinem fore tacitè
ſtatuit. Offert præterea *Incorporationem ſui Principa-
tus*, idq; aſtutè agi deprehenditur: videtur quidem
prouincias ſuas offerre, ſed ſpecioſa quadam aſtutia,
ea conditione, quam ipſe addit, ſcilicet, *Vi in amore
fraternaq; amicitia cœiuncta ſint. & vni Moſchorum
Principi pareant*: hæc verba non important ſubiectio-
nem, neq; promiſſorum firmitatem, aut diuturnitas-
tem, ſed æqualitatem, quoad vſq; ipſemet Moſchus
rerum in vtroq; Regno potiatur: aliàs omnino mutis
la ſunt. Nulla enim ratione veriſimile eſt, arrogantes
& ſuperbos Moſchos, qui omnib. populis ſibi vicis-
nis dominatos ſeſe fuiſſe glorientur, itidem prout
nunc de victoria à Turcis, Tartaris, Seruijs et Vngar-
ris reportanda, ſe vobis velle ſubmittere. At ſaltem
ſi is eligatur, iſti prædicti aliquam ipſius impoſſibi-
li & ſuperbæ iam animo conceptæ victorię moram
nectent, aut eam omnino euertent. Ægrè reluctabi-
tur. Ad tantam rem præſtandam neq; vires ſufficient,
neq; valebit ſuperbia, quæ craſſiſſima huic genti in-
nata eſt. Nihil enim eſt tam iniurium, aut ignomi-
nioſum, quod in vicinas gentes euomere veriti ſunt:
Regem Polonię quondam magiſtrum ſtabuli Moſ-
chorum Ducis egiſſe, literis ſuis ad Regem Suecię,
tempore quoq; **SIGISMUNDI**, felicis memorię, o-

diolē afferentes, innato odio erga Rempub. vestram, quod non subitaneo animi motu, sed natura ipsamet hauserint, arripuerint. Nonne, si iam Moschus Rex constitueretur, lupo ouem commiseritis? Quomodo quisquam sanæ mentis hoc sibi vnquā persuadere possit, vt is vestræ Reip. fidus futurus sit, qui à maioribus suis vnā cum sanguine odium vestri in se deriuatum habet? cuius fomitem absq̃ dubio alit, magno vestro incōmodo imposterum data occasione succensurus: quiq̃ XL. fermē annos continuos frameam suam in sanguine Polonico volutarit. Maiores vestri, vt historix testantur, Germanos & alios, quibus cū bellum ipsis erat, hostes tractabiles, Moschum verō hereditarium & irrecōciliabilem & nominarunt, & perpetuò habendū sibi proposuerunt. A sempiterna ignominia vos vindicate, quæ in nationē vestram emanabit, si ex ea gente, quam maiores vestri perpetuò inimicā fore duxerant, vobis Regē eligeretis, ac si aliās ei resistere, vel vires ipsius sustinere minimē possitis, nisi eius imperio vos submitteretis. Hoc tota clamabit & conqueretur posteritas: hunc Regem eligere quid aliud erit, quā gladio iugulum præbere, securi ceruices subdere? Pecuniam vobis ingentem offert, eam, eam dico, quam ex spolijs & exuuijs Polonorum & aliarum gentium vicinarum sceleratissimē vndiq̃ corraserat, quæ quidem non tanta est, vt pleriq̃ sibi habent persuasum. Nam in Regno præter eam, quam ex mercimoniorum venditione à subditis exigit, nullam habet, cū ibidem nullæ, neq̃ aurī, neq̃ argenti, cupri, ferri, vel alterius generis metalli fodinæ sint, quarum prouentu thesaurum comparare possit, vbi vel continuo bello, vel aliās redditus annui consumpti & exhausti fuerint. Magnū quoq̃ huius rei argumētum

tum esse omnibus potest, nō respondere ipsius promissis veritatem, quod cū anno superiori inter Sereniss. Suecorum Regis & eius Legatos in finibus pactū esset, vt pecunia Moschus arces duas redimeret, nō fuerit soluendo, neq; propterea easdem arces in hanc vsq; diem receperit. Vnde igitur postea arbitramini eum tantos sibi thesauros cōparare potuisse: Tartari, licet ipsi sunt infestissimi, possent tamen interdum reconciliari mediocri pecuniæ quantitate: id quidem subiectionis species esse videretur: satius nihilominus tamen ipsi multò fuisset, hoc fecisse, modò ita sit nummosus, quàm totam vrbem Moschouiam & alias ciuitates & prouincias incendio deflagrasse & depopulatas fuisse ipsemet furens conspexisset. Et quò vos facilius in suam pertrahat sententiam, vltimò nauigationem insuper ad Astracan, Casan, & Bulgi Tartarorum vrbes & prouincias, nec nō in terram nouā longè cōmodissimā & quæstuosissimā, & inde aurū, lapides preciosos, & gēmas vobis pmittit: hoc ipso fraudes suas atq; fallacias aperte prodit, detegitq;. Notum enim est euidentissimè, eiusmodi nauigationem, quæ vastissimo barbararum regionum ambitu clauditur, hætenus nō solū inusitatam, sed & Moscho periculosissimā esse, quæ per medias hostium suorum prouincias tendit ad mare Caspium & Sumachos. Ab altera parte verò commodè ad S. Nicolai portum Onega fluuius Nouogrodia nullo modo permeabit, si quidē Regis Sueciæ arcem munitissimā Keksholm nec cessariò transire debet: aliam quādam nauigationem cōpendiosam ad nouam terram habere nō poterit. Si .n. circū Noruegiā Occidentē versus cursum dirigit, præterquam quòd periculosissimè per mare Glaciale nauigabit, multò citius & minori cū periculo quisquā

Gedano soluens eò perueniet: Si autem in contra-
rium Orientem versus per Scythicum mare perrexerit,
medium ferè orbem circumibit, quemadmodum
clare ex globo & Cosmographicis tabulis perspicitur.
Absurda hæc sunt ipsius commenta: interim,
quin ad eadem, quæ incerto auctore vndiq; sparsa
sunt, responderemus, non potuimus intermittere.
Falsissimum est, cum dixerit, se omnes prouincias
suas in ius Regni Poloniæ concedere: quò hoc fun-
damento nitatur, videte: eum, qui omnibus Regibus
& Principibus vicinis se semper superiorem præ-
dicauit, iam se iugo vestro velle submittere. Hactenus
vos pares vix voluit agnoscere, iam Dominos, &
quidem vltro requisitos. Memoria vobis fortassis excidit,
quòd vos antea deceperit: quoties fidem fregit:
quoties pacta & inducias rupit: quoties induciarum
& pacis tempore in vestros agros excurrit, quàm plus-
rimis absq; ætatis & sexus differentia miserè trucidatis,
alijs in seruitutem extremam abactis: Nonne
Pontificem Max. & Imperatorem illudit vanis promissionibus:
Hunc iam Regem fore, vt quod hæcenus aperto Marte
aduersum vos efficere non potuit, tandem ipsi cum tempore
per insidias liceat. Cui malo etsi vos Proceres & Nobiles
Poloni satis posse resistere videamini, vndiq; tam legibus,
quàm potentia muniti: tamen si Deus tale quippiam voluerit
admittere, non minus eiusmodi in hoc Regno metuenda
sunt, quàm alibi accidisse comperimus, maxime cum
homines indigni, aut tyrannici præficiantur, qui multos,
licet summopere exosos, sibi deuinciunt, vt alios opprimant:
hos deniq; impugnant. Tyrannus enim nemini fidus.
Idem in hoc Regno Moschus aliquid quando

quando

28



quando tentabit. Nulla tanta potest esse vllius Regis
aut Principis ignauia aut turpitudine, vt non aliquos
sibi habeat adhaerentes. Raro autem alicuius Reip.
status absq; incolarum peruersitate & negligentia
perturbatus fuit. Poterit validum exercitum ex suis
popularibus coactum in Regnum introducere. Nam
si aliquantulum vires recuperauerit, pari sorte decer-
tare non extimescet, qui vos tandem incautos, nec
quicquam mali suspicantes opprimit, & eo facilius,
quod ipse in medio vestri supremus omnium sit, qua-
cunq; apud vos explorata & cognita sibi habeat. Ita
cum magnam accessionem huic Regno ex ipsius fieri
speratis, iugum in vos retorquebit. Alias quoq; nimi-
rum eiusmodi Incorporatio cauenda foret, ne fortasa-
sis aliquando, vel breui saltem, tota huius Reipub.
structura magnitudine suipsius, & mole tanta incor-
porationis corruat. Quippe patriae suae si libertatem
tam vili aestimat precio, vt eam alieno Regno sese vel-
le subijcere dicat, quam, quae sumus, exiguam Regni
sibi concrediti aliquando rationem habebit: Impos-
sibilia & incredibilia promittit. Non tolerabit id.
Moschorum superbia: obstabunt subditi, tum ma-
ximè eius frater minor natu, de quo magnam spem
ipsimet Moschi conceptam habent: is hanc colliga-
tionem seu potius subiectionem dissoluere attentabit,
& patriam in pristinam libertatem vindicare, omnia
rescissurus, quae frater vel simulans vel amens promi-
sit. Docent enim Historiae, successionem Regni Mos-
schouitici aliquoties minoribus natu competiuisse: &
fratrem iuniorem in successione filijs fratris maioris
demortui fuisse praelatū, siquidem & *IWAN WASIL-
LEWITZ* Regno potiebatur fratris sui, qui antea
praerat,

præerat, filijs exclusis. Cur fatuus inter tam præclaros
Candidatos nominatur? Indignum, capiti delirantis
coronam imponere, cui helleborus magis conueniret,
eam, quæ tantis antea præclaris Regibus fuit imposi-
ta: fortassis, vt minùs sit rigorosus, nec solus nimirum
in gubernatione sibi præsumat: non iniquè. Consi-
lium enim magis salubre in plurium deliberatione
consistit. Hoc si velitis, non erit difficile assequi. No-
lite tamen fatuum hominem vestro splendidissimo
Regno præficere. Quin potius suscipite Principem iu-
uenem, optimæ indolis, Regio sanguine, Vestrorum
Regum dico, militiæ deditum, fortem & robustum,
quique in persona, si opus fuerit, ipsemet in aciem pro-
gredi non recusabit, sed se ad reliqua omnia Principe
digna accommodabit: quod vobis probabitur, absque
dubio consultissimum iudicabit: quemque in iuuentu-
te vobis ita deuincietis, vt semper deinceps nihil sibi
vobis carius aut antiquius sit habiturus: omnibus
Regni indigenis ipsemet respondebit: absque inter-
prete ius dicet: iustitiam administrabit: cum quouis,
qui ipsum conueniet, verba faciet, cum sit Polonica,
Italica, Latina, Germanica & Suetica linguæ perita-
tus. Et licet odiosum sit, Moschum barbarum cum
Christiano & politissimo Principe comparare, tamen
facta comparatione, eam sibi non constare videbitis.
Hic prudens, probus & omni laude cumulatus,
Regibus & Principibus laudatissimis ducens origi-
nem: Ille fatuus, & crudelissimo tyranno procreatus,
qui cædibus & sanguine innocentium multorum mil-
lium totum suum imperium compleuit, qui nihil cru-
dele, nihil inhonestum, nihil libidinosum, naturæ quoque
summè contrarium intermisit Parricida. Hic à vestris
Regibus

Regibus descendit, cuius parentes Lithuaniam hereditatem suam Regno Poloniæ dicarunt, incorporarunt: Ille à perpetuis vestræ Reipub. hostibus natus, qui vobis multa eripuerit. Hic amore & prerogatione quadam autum Regnum, nulla ipsum necessitate cogente, modestè petit: Ille metu coactus, falsis promissionibus, vel saltem pecuniæ quantitate, tanquam venale, fastuosè ambit. *SIGISMUNDI* electio vobis pacem afferet, & amicitiam omnium Regum & Principum Europæ: Illius verò, odia & inimicitias omnium Competitorum, qui repulsam patientur, nec non aliorum Regum & Principum, quibuscum Sereniss. *SVECIAE* Regi firma amicitia atq; respectu carissimorum liberorum futuræ affinitatis necessitudine breui intercedet. Turca offendetur, qui aliàs amicitiam cum Regibus *IAGELLONICIS* seruata, cum eorum progenie conseruare non renuet, quod & ipsemet offerre videtur. Tartari bellum inferent. *SIGISMUNDVS* maris & nauigandi libertatem vobis impertiet: Ille eius prohibitionem. Hic doctus & literatus: Ille idiota. Quid dicent Reges & Principes, aut eorum Legati, vbi in Poloniam venerint, cum Rex ibidem nullam præter Moschouiticam linguam, eamq; malè & titubanter calleat: vox quoq; altissima vix possit ipsius aures personare: intellectu deniq; quod maximum est, destituatur: Hic moribus politis præditus: Ille inciuilis, rudis, & agrestis, qui iam vsq; dum mente caret, bonus habetur: si ad se redierit, patris mores procul dubio induet. Rarò imbellem Progenerant aquilæ columbam. Cum ipsum Poloni in Regnum introduxerint, verendum, ne poenæ, Moscho ob patris sui scelera & suæ genti à
C Deo

DEO irroganda, quas luere iam pridem ceperant, se se quoque participes efficiant, quos DEVS aliis vna cum Suecis castigatores, & executores eiusdem constituisse certo videtur. O Regem Regum indignissimum, Schismaticum, mutum, surdum, & fatuum! Hæc licet iudicio & voluntate Dei accidunt, qui solus infirmare & sanare potest: tamen natura comparatum est, vt abs illorum familiaritate, & consuetudine, à quibus humani quicquam sit alienum, alij plerumque abhorreant: quos vel ira Dei siue ipsamet natura sceleris conscientia notasse, & alijs fugiendos proposuisse, simul ac vetusta tempora peruersitatis & malitiæ accusasse & conuicisse videntur.

Adduximus in medium duorum Principum plene diuersorum mores, fidem, vitam, & commoda partis vtriusque, quæ à nostro Principe plura vobis obuenient, quam hoc tempore meminisse aut præuidisse integrum est. Moschus suarum ditionum Incorporationem simulat: Princeps Sueciæ pollicetur, idque DEO fauente certissime, cum Polonorum auxilio, terræ Moschouitiæ depopulationem & direptionem, vel saltem restitutionem Pleſchouitiæ, Schmolenciæ & aliorum, quæ Magno Ducatui Lithuaniz eripuit: nec se velle antea cum eo pacisci, quam id perfecerit: quod per DEI gratiam factum non erit difficile, cum iam ita ipsius vires attrita sint, vt tantæ societatis impetus sustinere minimè valeat. Hæc est causa simulate sue incorporationis. *Gens Moschouitiæ, scribit SIGISMUNDVS AB HERBENSTEIN in sua historia Moschouitica, ceteris omnibus astutior & fallacior esse perhibetur.*

hibetur, fluxa imprimis in contractibus
fide: Cuius rei haud ipsi ignari, si quādo
cum exteris commercia habent, quō ma-
iorem fidem obtineant, non Moschouitas
se, sed aduenas esse simulant. hęc ille. Alios
fallunt sub nomine nationis ficto aut incognito. Mi-
rum igitur vos illis habere fidem, qui Moschouitas
eos esse probē nouistis. Horum legati ad tantam rem,
quam in angustijs constituti temerē & simulatis ver-
bis promittunt, assecurandam, satis sufficientes non
sunt: nam domum reuersi aut promissa non præsta-
bunt, aut fateri minimē audebunt: aliās nudi flagris
& scuticis vapulabunt, vel tibiaram fustibus pulsanda-
rum supplicio afficientur, vsq; dum tumida marces-
cant, carne offensus putrefacta. Sic suos Legatos
munere defunctos aliquoties Moschouia (honoris
loco) tractauit: Sic Oratores suos & Cōsiliarios sup-
plicijs affecit: nonnullos etiam ignominiosē omnino
interemit. Sileo quid aliorum Oratorib. in Moscho-
uiam missis acciderit. Nolite igitur, vt vos illudat,
nec fortunam vltro sese vobis offerentem aspernemi-
ni, nec patiamini, vt vos is gubernet, cui ipsimet vos
imperare potestis. Omnia enim ipsius vobis haud dis-
ficulter in prædam cedent. Adhęc, ô Proceres & No-
biles amplissimi, cogitate, quæ foret fabula, quodq;
dedecus, omnes Christianos Principes reñcere, & hęc
barbarum, mentis impotem, Regio vestro diadema-
te insignire: illum in Regio folio præclarissimorum
IAGELLONVM collocare, qui hostis esset in-
festissimus: spreto sanguine **IAGELLONICO**

aspectui Sereniss. Reginae viuentis exhibere, cuius pater cupiditate nefandi criminis sorori *IAGELLONIDI* inferendi agitabatur. Quae esset erga *IAGELLONICAM* familiam gratitudo: quae benefactorum memoria: quam tamen maiores vestri sancte coluerunt, adeo, vt quamuis Regnum à libera electione dependeat, semper tamen ex Regio sanguine procreatos alijs omnibus praetulerint. Cum mortuus esset *MIESCO II.* Rex Poloniae, cuius peruersi mores & mala Reipub. administratio filium *CASIMIRVM* Regni incolis suspectum & exosum reddiderant, secessit *CASIMIRVS* in Galliam, & Lutetij monasterium Cluniacense ingressus est. Hunc deinceps magno sumptu & precibus expetiuerunt, Benedicto IX. Pontifice difficulter permittente, qui tandem voto liberatum absoluit & dimisit. Eius absolutionis & beneficij testis adhuc est S. Petri appellatus in Polonia nummus, à dicto Pontifice Polonis iniunctus: Quo loco venusta & grauis apud Cromerum extat disputatio prudentissimorum illius seculi Procerum: Quidnam praestantius sit, *PIASTVM SIMPLICEM* creare Regem, an stirpem aliquam sanguinis Regij, generis Polonici *VBI VBI INDAGARE*. Quae licetq; stirps Regia illis visa est esse praestantior, etiam in foemina imbecilli. Etenim post *CASIMIRVM MAGNUM*, qui absq; heredib. masculis decessit, *LYDOVICVM* Vngarum eius nepotem adsciscunt. Quid apud eos valuit: Regius Polonici generis sanguis. Concessit deinde fato *LYDOVICVS*, nulla prole mascula relicta. Quae so narrate mihi, quod tandem animos suos, quod sententias, quod iudicia sapiens illa maiorum vestrorum aetas conuertit: ad filiam

liam eius virginem, quam vnâ cum matre è Regno profectam ad se Poloni reuocârunt, vt & marito digno elocarent, eiq; Regni habenas simul concrederent. Nupta *VLADISLAVO IAGELLONI*, qui simul Regno præficietur. Hæc ex vestris historijs. Quæ antecessorum vestrorum in Principes sui sanguinis obseruantia, qui amor, quæ prudentia, tam perturbatis Reipub. rebus fuerit, meditamini: hanc vos prisca seculi auctoritatem non sequemini: non vtemini exemplis: non insistetis vestigijs: Videte ne felicitatem vllam vidèamini inuidisse vobis, qua maiores vestri beatissimi fuerunt, & propter quam illos dilaudatis, cum fortunam vestram confertis cum illorum fortuna. Nec discedunt ab hac sententia amoris, fidei, & pietatis plena Historici rerum Vngaricarum. Nam interempto *VLADISLAVO REGE*, relicto fratre, cum diuersis affectibus quàmplurimi fluctuarent, & in contraria studia scinderentur: alij in mutua odia & domesticas dissensiones, vti nunc fit, raperentur, acie & copijs militum violenta molientes, armati in campo *RACHOS*, quam vocem hic sæpè tonantem inde deriuatam esse verisimile est, tandem sedatis liberæ electionis anfractibus, post multas disceptationes, audita elegantissima & sapientissima oratione *MICHAELIS ZILAGII*, pro Regia stirpe dicentis, ad Regum illorum sanguinem se conuerterunt, delato imperio *MATTHIAE CORVINO*, fratri Regis demortui, quod deinde felicissimum & augustissimum extitit. Prisca seculi exactam artificum artem in opificijs demiramur, & qui proximè ad eorum artificium accedit, eum pro singulari artifice ducimus. Cur hoc idem non facimus de
C 3 prudens

prudētia, de arte, de scientia in creando Principe,
in deligendo Rege, in consulendo & nobis & patriæ:
Omnia, Equites, omnia damnosa imminuit dies: ple-
na est exemplorum vetustas, Recens à me & finiti-
mum vobis audite. Sueciæ Regnum, quod iampris-
dem 1544. hereditarium factum est cum consensu
Ordinum: antea autem liberum & electicium tanto
tempore florebat & amplificabatur, quanto sui san-
guinis Regij Principibus adhæreret: extraneis dein-
de ascitis, magnam fecit suarum rerum iacturam.
Prouincias quidem aliq̄ ab alienarunt, aliq̄ procerum
& incolarum vitæ & fortunis insidiati sunt, quàm
plurimis miserrimè necatis: vsq̄ dum exteri Reges &
Principes omnes eijcerentur: Regno deinceps ad ve-
terum Regum indigenarum progeniem, quæ iam res-
rum potitur, conuerso. Polonum ducite, Polonum
numerate, Polonum æstimate, quem scitis ad præclar-
rū *IAGELLONICVM* sanguinē maternum genus,
ad ipsum quoq̄ *PIASTVM* genus paternum suum
referre: et quem non ita post longo interuallo aspicias
referentem auitas virtutes *IAGELLONICAS*,
repræsentantem præclaras actiones maiorum suo-
rum, postremum, domo petitis exemplis, vestram
Rempub. vestram auream libertatem, vos deniq̄ or-
nantes. Quod cum ita sit, cui quoq̄ ius
diuinum astipulatur, petimus, vt habita ratione vti-
litatis, nostrum Principem concomitantis: econtrâ
incommodatum & periculi, quæ aliorum electio-
nem sequuntur, tum potissimum meritorum familiæ
IAGELLONICAE, quæ vestram Rempubl. tam
splendidè dotauit: & inter vos, & vestros maiores,
quàm plurimos ornauit, euexit, eius iam progeniem
agnos

agnoscatis, & suscipiatis, æquis & tolerabilibus con-
ditionibus, nec patiamini vos magnis aliorum polli-
citationibus, quarum similes antea absq; effectu eua-
nuerunt, ab eo diuelli. Vester est, Piaustus, indigena,
vestrorum morum & linguæ peritissimus, omnibus
æquus, in priuatis dissidijs neutralis, dignus sanè, vt
occurrêtes complectamini: nulli Competitorum fiet
iniuria: infinitas vtilitates, maximè autè inter Chris-
tianos pacem afferet, quam Deus Opt. Max. dare &
in hoc Regno & vbiq; conseruare dignetur, vt absq;
mutua vi & iniuria, tum & Competitorum, quan-
tum fieri potest, id quod vestræ Reipublicæ, &
toti Christianitati fuerit consultissimū,
vnanimes possitis & velitis
decernere.

D I X I.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

D. 1. 1.





VD16
p. V

+





O R A T I O

N O M I N E S E.
 R E N I S S I M I A C P O T E N -
 T I S S I M I P R I N C I P I S A C D N. D N.
 I O H A N N I S I I I. S V E C O R V M, G O T H O R V M
 W a n d a l o r u m q; R e g i s, M a g n i P r i n c i p i s F i n l a n d i æ,
 C a r e l i æ, W o t s c h o u i æ & I n g r i æ R u t h e n o r u m,
 E s t o n i æ q; L i u o n u m

Nec non

E I V S M A I E S T A T I
 S I M I F I L I I S E R E N I S
SIGISMVNDI, eorundem
 rum proximi Principis
 Regis electi,
 P E R I L L V S T R E S,
 & Magnificos, Dn. *ERICVM*
 num de Sundby, &c. Regni S
 Procancellarium, Gubernator
 karlorum & Montanorum : &
HE, Comitem à Winsingsburg
 holm & Lindholm, Serenif
MVNDI Consiliarium &
 dictæ *M A I E S T A T I S* &
 ad Comitia Warsouiensis
 electioni *xxix*. I
M. D. LXXXV
 nouo indic
LEGATO
 habita *D. xv.*
 ✂ . . .

